

& æquabili, perenni; motus uelocitate, & splendore  
lucis, & uirtutis communicatione, omnibus inter  
sefe partibus admirabiliter concinentibus, infini-  
tam illam Dei parentis & conditoris potentiam,  
sapientiam, bonitatem, præclara atq; illustri quadam  
significatione testantur. Quid, quod ex una eorum  
obseruatione, uaria & maxima ad hominum usus  
in omni genere commoda promanarunt? quo-  
modo enim uel agricultura, uel nauigandi medendi  
ue ars, uel ad omnes uitæ functiones, ususq; neces-  
saria illa anni in menses diesq; descriptio, aut prin-  
cipio excogitari, aut deinceps retineri, sine Solis ac  
Lunæ ductu, & quadam quasi institutione, potuis-  
sent? mitto supputationes Ecclesiasticas, quæ a Tri-  
dentina sacrosancta oecumenica synodo tantope-  
re commendantur, Deiq; ac diuorum cultum, sta-  
taq; ac solennia sacrificia; quorum omnis ratio atq;  
constantia, quin ex eodem profluant fonte, nemini  
dubium est. Quæ cum ita sint, optime sane de ho-  
minibus meriti fuisse putandi sunt, qui, quæ in hoc  
genere apud se quisq; notauerant, scripta posteris  
reliquerunt. cum enim ( ut princeps medicorum  
inquit Hippocrates ) breuis uita sit, ars uero longa;  
de astrorum oppositionibus, coniunctionibus, de  
motuum uarietate generibusq; plurima hoc tem-  
pore ignorarentur, nisi litterarum beneficio con-  
tinuata